




AD

PUBLICAM EXPLORATIONEM

PROGRESSUUM

QUOS

JOANNEI LUNEBURGENSIS

CLASSIUM OMNIUM DISCIPULI IN HUMANITATIS STUDIIS FECERUNT

DIEBUS XXXI. M. MART. I. II. V. M. APRIL. MDCCCXXXXI.

IN AUDITORIO GYMNASII MAXIMO INSTITUENDAM

ET

AD ORATIONES SCHOLASTICAS

DIE III. M. APRIL. AB HORA MATUT. IX. AUDIENDAS

GYMNASII PATRONOS EPHOROS FAUTORES

DISCIPULORUM PARENTES

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

CAROLUS FRIDER. HENR. ALBERT. HAAGE

PHIL. DR. JOANNEI DIRECTOR.

INSUNT:

I. Spicilegium observationum ad Cleonis orationem Thucyd. L. III. c. 37. sqq.
II. Annales Gymnasii.

LUNEBURGI, MDCCCXXXXI.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA STERNIANA.

Thucydides L. III, 37.

Οὐ σκοποῦντες, ὅτι τυραννίδα ἔχετε τὴν ἀρχὴν καὶ πρὸς ἐπιβουλεύοντας αὐτοὺς καὶ ἄκοντας ἀρχομένους, [οἳ] οὐκ ἐξ ὧν ἂν χαρίζησθε βλαπτόμενοι αὐτοὶ ἀκροῶνται ὑμῶν, ἀλλ' ἐξ ὧν ἂν ἰσχύι μᾶλλον ἢ τῇ ἐκείνων εὐνοίᾳ περιγένησθε.

Pronomen οἳ quum summo membranarum consensu proscribatur, neque scholiastae auctoritas, uti bene monet Goellerus, in auxilium vocari possit, Poppo in Observationibus vocem expunxit, in Commentariis ad h. l. dubius haeret, Goellerus, qui in editione priore reliquerat, in altera editione uncinis inclusit, nec tamen certam sententiam protulit, Haackius et in editione majore et in minore Popponis priorem sententiam secutus pronomine deleto transitum a participio in verbum finitum factum esse statuit. Sed loci, quos cum Poppone adtulit, plane alius sunt generis, quippe qui ipsi doceant, copulam *τέ* vel *καί* abesse non posse, orationemque ea tantum de caussa potuisse variari, quod enuntiatio longior sit interjecta, id quod Poppo in Commentariis ad h. l. et Goellerus bene perspexerunt. Uno tantum loco Thuc. IV, 10., ubi pronomen ὃ pariter plerique libri ignorant, nostrum locum quodam modo fulciri censet Poppo. *Τοῦ τε γὰρ χωρίου τὸ δυσέμβατον*

ἡμέτερον νομίζω — μενόντων ἡμῶν ξύμμαχον γίγνεται, ὑποχωρήσασι δὲ, καίπερ χαλεπὸν ὂν, εὔπορον ἔσται, μηδένος κωλύοντος κ. τ. λ. — τό τε πλῆθος αὐτῶν οὐκ ἄγαν δεῖ φοβεῖσθαι. Qui locus et ipse Goellero tam salebrosus esse visus est, ut ὅ in utraque editione verbis Thucydideis insereret. Operae igitur pretium me facturum esse spero, si in asyndeti naturam et usum accuratius inquisivero, ut, quid et linguae leges et scriptorum usus admittat, certo judicio statui possit, et praecipua doctrinae de asyndeto in Graeco sermone capita tironum in usum exponantur. Haec autem est sermonis Graeci fere constans et perpetua lex, ut rationes, quae inter singulas enuntiationes intercedant, sive istae inter se conjunguntur, sive opponuntur, sive nexu caussali ad se referuntur, particulis, quarum ingens Graecis fuit copia, non modo accuratissime significentur, sed oculis quasi subjiciantur. Nihilominus tamen caussae sunt, ob quas copula non raro omittitur, quas in epica poesi Hermannus ad Hom. Hymn. in Venerem v. 177. quatuor esse censet, quae quidem non solum in epica poesi, sed etiam in omni orationis genere valent et valere debent. Primum *perturbatus animus personae loquentis*, quae quidem caussa in omnibus linguis pro affectus gravitate et vehementia, orationem necessario perturbante, obtinet. Inde patet, in carminibus lyricis longe liberiorem esse asyndetorum usum, quum in iis affectus sensusque commotiores dominentur. Qua de caussa poetas lyricos tum demum citabo, quum eorum usus aut cum ceterorum scriptorum usu congruit, aut eum illustrat. Plura de hoc usu dabit Dissen. in doctissimo excursu II. ad Pindarum ed. Goth. T. I. p. 273. sqq. Deinde *quum incipitur narrari de re nova et gravi*, quibus locis copula recte omittitur, quum res plane nova nihil habeat, quo cum iis, quae antecedant, conjungatur, certe, si conjunctio quaedam est, ea postea demum cognoscitur. Conferendus idem Hermannus ad Soph. Trach. v. 896. docens, *Graecos, ubi se narraturos*

aliquid significarunt, narrationem modo cum particula γάρ incipere, modo sine omni copula, uti Aesch. Prometh. 199. Praeterea rei gravitas propter ipsum, quem excitat, affectum logica ista particularum adminicula respuit. cf. Dissen. ad Pind. l. l. p. 279. Tum *quum narratio graviter finitur,* postremo *quum res ante vel universe vel obscurius indicata pluribus explicatur accuratius.* De duobus his posterioribus accuratius agendum. Ut prioris generis exemplum unum locum profert Hermannus Hom. Il. I, 531. *τώγ' ὣς βυλεύσαντε διέτμαγεν.* Gravitatem non agnosco, sed usum apud Graecos scriptores frequentissimum. Adverbio *ὥς,* uti omnino adverbiis et pronominibus demonstrativis in initio orationis positis, quum ratio, qua sequentia cum antecedentibus conjungantur, indicetur, particulae copulativae addidamentum minime est necessarium. Sic *ὣς φάτο, ὥς ἔφαν, ὥς εἰπών.* Il. III, 243. 259. 302. 395. IV. 20. 68. 104. 198. V, 511. et aliis locis innumeris. Quanquam locis nonnullis particula addita est, veluti *ὣς ἄρ' ἔφαν.* III, 324. V, 511. Qua in re notandum, quod *ἤ* pro *ἔφη* saepe sine adverbio demonstrativo *ἀσυνδέτως* ponitur, verbo monosyllabo quasi particulae vicem sustinente. v. Il. III, 292. 310. 369. IV, 192., quanquam aliis locis *ἦ ῥα* dicitur, veluti III, 355. 447. IV, 82. 93. V, 280. Nec minus frequens iste particularum demonstrativarum usus aliis in rebus. Il. IV., 250. *ὣς ὅγε κοιρανέων ἐπεπωλεῖτο στίχας ἀνδρῶν.* 310. *ὣς ὁ γέρων ὤτρυνε.* Qui quidem usus inprimis iis locis, quibus plura in unum colliguntur, in rerum repetitione et congregatione locum habet. Sophocl. Antig. v. 191. *τοιοῖσδ' ἐγὼ νόμοισι τήνδ' αὔξω πόλιν.* v. 207. *τοιόνδ' ἐμὸν φρόνημα.* v. 231. *τοιαῦτ' ἑλίσσων ἤνυτον σχολῇ βραδύς.* Alii loci Hermanno erant proferendi, ut regulam certissimam exemplis fulciret. Sophocl. Oedip. Tyr. v. 871. gravissimae primae carminis strophae sententiae finiuntur verbis *μέγας ἐν τούτοις θεός, οὐδὲ γηράσκει* sine copula additis, quippe quibus divina majestas

maxime appareat. Particula copulativa deest, quia novum quid et aliud non additur, sed idem gravius repetitur, plura in unam quasi sententiam conjunguntur. Particula igitur omissa significatur, sententiam sequi non aliam vel diversam, cujus relatio ad ea, quae antecedant, indicanda, sed fere eandem, cujus ratio per se clara et perspicua sit. Hinc factum, ut in carminibus lyricis strophae saepe tali sententia ἀσυνδέτως adjuncta finiantur, veluti in eodem carmine chorico v. 881. θεὸν ἐ λήξω ποτὲ προστάταν ἴσχων. Pind. Nem. I, 18. cf. de hoc usu egregie disputantem Dissen. l. l. p. 278. Quod vero Hermannus ultimo loco dicit, *quum res ante vel universe vel obscurius indicata accuratius explicatur*, ut eadem ratione, qua modo prolata exempla, est explicandum, ita usum habet multiplicem. Scilicet particula abest, quod nihil aliud et diversum additur, cujus ratio et cohaerentia cum antecedentibus sit indicanda, sed idem, quod jam significatum uberiore explicatione eget. Primo loco ponenda ea exempla, *in quibus pronomen aut demonstrativum aut relativum vel adverbium aut demonstrativum aut relativum sententia explicativa addita illustratur*. Thuc. VI, 11. ὅπερ νῦν ὑμεῖς, ὦ Ἀθηναῖοι, ἐς Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς συμμάχους πεπόνθατε· διὰ τὸ παρὰ γνώμην αὐτῶν, πρὸς ἃ ἐφοβεῖσθε τοπρῶτον, περιγεγενῆσθαι, καταφρονήσαντες ἤδη καὶ Σικελίας ἐφίεσθε. Xenoph. Cyrop. VIII, 1, 6. οὕτω καὶ νῦν ἔτι ποιοῦσιν οἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν ὑπὸ βασιλεῖ ὄντες· θεραπεύουσι τὰς τῶν ἀρχόντων θύρας. Plura vide apud Popp. ad Cyrop. I, 6, 19. Ejusdem generis ii sunt loci, *in quibus rem brevius indicatam scriptor in sequentibus verbis pluribus et accuratioribus persequitur*. Il. XXIII, 420. αἶψα δ' ἔπειτα στεῖνος ὁδοῦ κοιλῆς ἴδεν Ἀντίλοχος μενεχάρμης· ῥωχμὸς ἔην γαίης κ. τ. λ. VI, 174. προφρονέως μιν τῖεν ἄναξ Λυκίης εὐρείης· ἐννῆμαρ ξείνισσε καὶ ἐννέα βοῦς ἱέρευσεν. vide locos Homericos apud Herm. ad Hymn. in Vener. l. l., ex quibus eximendi Il. V, 169. βῆ δ' ἴμεν ἄν τε μάχην καὶ ἀνὰ κλόνον ἐγχειάων, Πάνδαρον ἀντίθεον διζήμενος, εἴ που ἐφεύροι.

εὗρε Λυκάονος υἱὸν ἀμύμονά τε κρατερόν τε. XVI, 756. ὣς ἐπὶ Κεβριόνῃ, Πατρόκλεις, ἆλσο μεμαώς. Ἕκτωρ δ' αὖθ' ἑτέρωθεν ἀφ' ἵππων ἆλτο χαμᾶζε· τὼ περὶ Κεβριόναο, λέονθ' ὥς, δηρινθήτην. Etenim ea, quae ἀσυνδέτως adduntur, in iis, quae antecedunt, non sunt significata. Nihilominus tamen usus similitudo agnoscenda. Res enim, ut non significata, ita est praeparata, ut eam exspectare et cogitatione praecipere possis. Alterum genus eorum locorum est, *in quibus ea enuntiata, quae superiora accuratius definiunt et interpretantur, non intercedente copula apponuntur, ita ut quasi appositio universorum enuntiatorum efficiatur.* Platon. Protag. p. 335. A. ὦ Σώκρατες, ἔφη, ἐγὼ πολλοῖς ἤδη εἰς ἀγῶνα λόγων ἀφικόμην ἀνθρώποις, καὶ εἰ τῦτο ἐποίουν, ὃ σὺ κελεύεις, ὡς ὁ ἀντιλέγων ἐκέλευέ με διαλέγεσθαι, οὕτω διελεγόμην, ὐδενὸς ἂν βελτίων ἐφαινόμην, ubi ante οὕτω εἰ cogitatione supplendum, et εἰ οὕτω διελεγόμην explicatio est enuntiati hypothetici εἰ τῦτο ἐποίουν, ὃ σὺ κελεύεις. Usum hunc primo loco posito valde cognatum esse, pronomen demonstrativum τῦτο docet. cf. Protag. p. 348. A. τὺς τοιύτυς μοι δοκεῖ χρῆναι μᾶλλον μιμεῖσθαι ἐμέ τε καὶ σέ, καταθεμένυς ---- τὺς λόγυς ποιεῖσθαι. Quanquam pronomen antecedens non necessario requiritur. Protag. p. 343. D. τῦτο γὰρ ὐδὲ πρὸς ἕνα λόγον φαίνεται ἐμβεβλῆσθαι, ἐὰν μή τις ὑπολάβῃ πρὸς τὸ τῦ Πιττάκυ ῥῆμα ὥςπερ ἐρίζοντα λέγειν τὸν Σιμωνίδην· λέγοντος τῦ Πιττάκυ, ὅτι Χαλεπὸν ἐςθλὸν ἔμμεναι, ἀμφιςβητῦντα εἰπεῖν, ὅτι Οὐκ κ. τ. λ., quo loco copulae omissionem ante λέγοντος illustrat Heindorf. cf. Stallbaum. ad Protag. c. XXII. et XXIX. Eodem refero Protag. p. 341. A. ἀλλ' ὥςπερ περὶ τῦ δεινῦ Πρόδικός με ουτοσί νυθετεῖ ἑκάστοτε, ὅταν ἐπαινῶν ἐγὼ ἢ σὲ ἢ ἄλλον τινὰ λέγω, ὅτι Πρωταγόρας σοφὸς καὶ δεινός ἐστιν ἀνήρ, ἐρωτᾷ, εἰ οὐκ αἰςχύνομαι τἀγαθὰ δεινὰ καλῶν, ubi ὅταν ---- αἰςχύνομαι continent interpretationem antecedentium. Crito p. 50. s. f. ἦ πρὸς μὲν ἄρα σοι τὸν πατέρα οὐκ ἐξ ἴσυ ἦν τὸ δίκαιον καὶ πρὸς τὸν

δεσπότην, εἴ σοι ὢν ἐτύγχανεν, ὥςτε, ἅπερ πάσχοις, ταῦτα καὶ ἀντιποιεῖν, ὅτε κακῶς ἀκόοντα ἀντιλέγειν, οὔτε τυπτόμενον ἀντιτύπτειν, οὔτε ἄλλα τοιαῦτα πολλά. Scilicet οὔτε κακῶς ἀκόοντα κ. τ. λ. addita ad explicanda verba ταῦτα καὶ ἀντιποιεῖν. Similis ratio est, *ubi eadem res cum vi repetitur aliis verbis*. Pind. Olymp. IX, 40. μὴ νῦν λαλάγει τὰ τοιαῦτ'· ἔα πόλεμον μάχαν τε πᾶσαν χωρὶς ἀθανάτων. v. locos Pindaricos apud Dissen. l. l. p. 274. Similis locus Homericus Od. IX, 132. ἐν μὲν γὰρ λειμῶνες ἁλὸς πολιοῖο παρ' ὄχθας ὑδρηλοὶ, μαλακοί· μάλα κ' ἄφθιτοι ἄμπελοι εἶεν, quippe in quo non tam idem cum vi repetitum aliis verbis, sed res praecipua cum vi et vigore quodam illata. Tertiae classi adscribo locos, *in quibus particula γάρ videtur esse omissa*. Plat. Protag. p. 340. E. καὶ εἰμί τις γελοῖος ἰατρός· ἰώμενος μεῖζον τὸ νόσημα ποιῶ. Posterius enuntiatum caussam quidem continet prioris, sed particula caussalis paene superflua, quia eandem sententiam, sed clarius expressam et certius definitam habes, appositionemque universorum enuntiatorum statuere potes, uti in locis supra positis. Apol. p. 41. B. ἐγὼ μὲν γὰρ πολλάκις ἐθέλω τεθνάναι, εἰ ταῦτ' ἐστὶν ἀληθῆ, ἐπεὶ ἔμοιγε καὶ αὐτῷ θαυμαστὴ ἂν εἴη ἡ διατριβὴ αὐτόθι, ὁπότε ἐντύχοιμι Παλαμήδει καὶ Αἴαντι τῷ Τελαμῶνος· ἀντιπαραβάλλοντι τὰ ἐμαυτȣ̃ πάθη πρὸς τὰ ἐκείνων, ὡς ἐγὼ οἶμαι, οὐκ ἂν ἀηδὲς εἴη. Hom. Il. 1, 106. Μάντι κακῶν, οὐ πώποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπες· αἰεί τοι τὰ κάκ' ἐστὶ φίλα φρεσὶ μαντεύεσθαι. His locis, quorum ingens copia in veterum libris, via munitur ad liberiorem hujus omissionis usum. Saepe sententia ἀσυνδέτως additur, quae caussam antecedentium continet, ut novum quid nec priore enuntiato significatum additum videatur, quanquam accuratius rimanti utriusque usus eandem fere esse rationem facile apparebit. Hoc inprimis observabis in sententiis fortius prolatis; fortiter enim et acriter loquenti convenit orationis abruptae species. Aeschin. adv. Ctesiph. §. 48. εἰ δὲ ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων, ἀποδέδεικταί σοι τόπος, ὅπου δεῖ τοῦτο γενέσθαι,

ἀπείρηταί σοι ἔξω τῆς ἐκκλησίας μὴ κηρύττεσθαι. Lys. Accus. Nicomachi §. 23. χρὴ τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, μὴ τοῖς βασιλεύυσιν ἑκάστοτε ὀργίζεσθαι, ἀλλὰ τοῖς εἰς τοιαύτας ἀπορίας καθιστᾶσι τὴν πόλιν· προςέχεσι τὸν νοῦν· οἱ βυλόμενοι τὰ κοινὰ κλέπτειν κ. τ. λ., ubi recte Brem. vim orationis agnoscit, uti in Lysiae Purgatione sacrilegii in olea sacra incusati §. 14. οὗτος μέντοι οὐκ ἂν ἔχοι ἀποδεῖξαι, ἔτ' ὡς ὑπὸ πενίας ἠναγκάσθην τοιύτοις ἔργοις ἐπιχειρεῖν, ἔθ' ὡς τὸ χωρίον μοι διαφθείρεται τῦ σηκυ ὄντος, ἔθ' ὡς ἀμπέλοις ἐμποδὼν ἦν, οὐθ' ὡς οἰκίας ἐγγύς, ἔθ' ὡς ἐγὼ ἄπειρος τῶν παρ' ὑμῖν κινδύνων, εἴ τι τύτων ἔπραττον. πολλὰς ἂν καὶ μεγάλας ἐμαυτῷ ζημίας γενομένας ἀποφήναιμι κ. τ. λ., ad q. l. vide omnino Brem. Epigr. Posidippi Anthol. Palat. T. II. p. 661, 119. ὐκέτι μεμπτοὶ Πέρσαι· συγγνώμη θεοὶ λέοντα φυγεῖν. Simile quid in Latinis scriptoribus observavit Wunderl. ad Virg. Ecl. 1, 11. Plane diversus usus est, quem docte illustrat Diss. ad Pind. l. l. p. 276. et 277., repetendus ille ex usu quotidiani sermonis. In hoc enim dicendi genere saepissime enuntiata non inter se conjuncta particulisque copulata proferuntur, sed nude et juxta posita, praesertim si oratio affectuum impetu concitata liberius fluit. Sic dixit Terent. Eunuch. A. II. sc. 2. *Negat quis: nego* pro *si quis negat, nego.* Cic. de Finibus IV, 25, 69. *Roges enim Aristonem: neget — Zenonem roges: respondeat.* v. Matth. ad Cic. pro Rosc. Am. XX, 55. Beyer. ad Cic. de Off. III, 19. Simili modo Pindarus duo enuntiata sine copula juxta se ponit, *ut alterum caussam et rationem contineat, alterum consequutionem: apodosis antecedit, protasis sequitur.* Olymp. 1, 53. ἀφίσταμαι· ἀκέρδεια λέλογχεν θαμινὰ κακαγόρος, III. s. f. οὔ μιν διώξω· κεινὸς εἴην. Etiam hi loci per particulam γάρ explicandi, sed earum ratio plane diversa a superiore genere, quod vel inde patet, quod *eodem modo protasis antecedit, apodosis sequitur.* Olymp. I, 113. ἐπ' ἄλλοισι δ' ἄλλοι μεγάλοι· τὸ δ' ἔσχατον κορυφῦται βασιλεῦσι. μηκέτι πάπταινε πόρσιν.

Nubem exemplorum e Pindaro excitavit Dissen., nec dubito, quin apud alios scriptores et poetici et soluti sermonis similia inveniantur. Sic Herodotus, cujus oratio, inprimis quum narrat, simplicissima est et a vulgari dicendi genere minime aliena. I, 11. *ὅκων δὴ ἔπειθεν, ἀλλ' ὥρα ἀναγκαίην ἀληθέως προκειμένην, ἢ τὸν δεσπότεα ἀπολλύναι, ἢ αὐτὸν ὑπ' ἄλλων ἀπόλλυσθαι· αἱρέεται αὐτὸς περιεῖναι.* Quum videret, se in hanc necessitatem venisse, ut aut dominum interficeret, aut ipse interficeretur, maluit ipse servari. Locus gemellus I, 59. *ὅκων ταῦτα παραινέσαντος Χίλωνος πείθεσθαι θέλειν τὸν Ἱπποκράτεα· γενέσθαι οἱ μετὰ ταῦτα τὸν Πεισίστρατον τοῦτον.* Eodem refero asyndeta ante *δοκεῖ, ἐδόκει, ἔδοξε* et apud Platonem et apud Xenophontem ab interpretibus notata. Plat. Protag. p. 317. D. *Βούλεσθε οὖν, ὁ Καλλίας ἔφη, συνέδριον κατασκευάσωμεν, ἵνα καθεζόμενοι διαλέγησθε; Ἐδόκει χρῆναι.* Xenoph. Anab. IV, 4, 6. *ὁ δὲ εἶπεν, ὅτι σπείσασθαι βούλοιτο, ἐφ' ᾧ μήτε αὐτὸς τοὺς Ἕλληνας ἀδικεῖν, μήτε ἐκείνους καίειν τὰς οἰκίας, λαμβάνειν τε τὰ ἐπιτήδεια, ὅσων δέοιντο. Ἔδοξε ταῦτα τοῖς στρατηγοῖς· καὶ ἐσπείσαντο ἐπὶ τούτοις.* v. Stallb. ad Platonis locum et Bornemann. ad Anab. I, 3, 20. Ex eodem quotidiani sermonis usu explico eos locos, *in quibus ad ea, quae jam dicta sunt, ἀσυνδέτως adjunguntur, quae in prioribus dici potuerunt vel debuerunt.* Plat. Protag. p. 315. E. *παρεκάθηντο δὲ αὐτῷ ἐπὶ ταῖς πλησίον κλίναις Παυσανίας καὶ μετὰ Παυσανίου νέον τι ἔτι μειράκιον, ὡς μὲν ἐγῷμαι, καλόν τε κἀγαθὸν τὴν φύσιν, τὴν δ' οὖν ἰδέαν πάνυ καλός. ἔδοξα ἀκοῦσαι ὄνομα αὐτῷ εἶναι Ἀγάθωνα* ad q. l. Stallb. confert Xenoph. Anab. I, 8, 9. *καὶ ἦσαν ἱππεῖς μὲν λευκοθώρακες ἐπὶ τοῦ εὐωνύμου τῶν πολεμίων· Τισσαφέρνης ἐλέγετο τούτων ἄρχειν.* Nec Platonicum illud *οἴεσθαί γε χρή* saepenumero orationi *ἀσυνδέτως* interpositum aliam explicationem habet, quam quotidiani sermonis consuetudinem. v. Stallb. ad Plat. Crit. p. 53. C. Heind. ad Protag. p. 325. C. — Aliud plane asyndeti genus *in plurium rerum enumeratione nascitur,*

quum ea copia menti obversetur, ut ea certis finibus vix videatur posse comprehendi, animusque rerum graviorum recensu magis magisque occupatus ad alia et graviora etiam transire jubeatur, cui figurae contrarium polysyndeton, quo ingens rerum multitudo particulis copulativis multipliciter juncta longa serie tota producitur, animusque in iis cogitatione morari jubetur. Quo fit, ut oratores potissimum hoc dicendi genere delectentur. Aeschin. adv. Ctesiph. §. 94. *ὥςτε τὰς ἐξ Ὠρεῦ συντάξεις καὶ τὰς ἐξ Ἐρετρίας τὰ δέκα τάλαντα, δρώντων, φρονούντων, βλεπόντων ἔλαθον ὑμῶν ὑφελόμενοι.* §. 137. *ὡς ἄρα Θηβαῖοι τὴν συμμαχίαν ὑμῖν ἐποιήσαντο οὐ διὰ τὸν καιρόν, οὐ διὰ τὸν φόβον, τὸν περιστάντα αὐτούς, οὐ διὰ τὴν ὑμετέραν δόξαν, ἀλλὰ διὰ τὰς Δημοσθένους δημηγορίας.* Adde insigne *ἐπιμονῆς*, uti technici dicunt, exemplum. §. 198. *ὅςτις δ' ἐν τῷ πρώτῳ λόγῳ τὴν ψῆφον αἰτεῖ, νόμον αἰτεῖ, δημοκρατίαν αἰτεῖ,* ad q. l. cf. Bremi. Xenoph. Hellen. IV, 3, 19. *συμβαλόντες τὰς ἀσπίδας ἐωθοῦντο, ἐμάχοντο, ἀπέκτεινον, ἀπέθνησκον,* de quo loco vide, quae docte monet Heller. ad Soph. Oedip. Col. v. 1158. Cum hoc Xenophontis loco male comparat Reisig. ad hunc Sophoclis locum (v. 1160.) Soph. Antig. v. 1079. *φανεῖ γάρ, οὐ μακροῦ χρόνου τριβή, ἀνδρῶν, γυναικῶν, σοῖς δόμοις κωκύματα.* Arist. Ran. v. 855. et 861. *ἔλεγχ' ἐλέγχου; δάκνειν, δάκνεσθαι* et Xen. in Cyrop. *ἔπαιον, ἐπαίοντο.* (cf. quos Erfurdt. citat ad Antig. locum). Inest quidem huic dicendi generi vis et gravitas, affectus acrioris significatio quaedam, sed admittitur hic usus, uti docet Hermann. ad Oedip. Col. v. 1167. *in iis tantum, quae alternis crebro iterantur, ususque origo e vulgari et quotidiani sermonis consuetudine repetenda.*

Sic asyndeti generibus, quae Graeci usurpaverunt, si non omnibus, at certe gravissimis expositis redeundum ad locos Thucydideos, videndumque, fierine possit, ut in iis asyndeti ratio possit explicari et uni eorum generum, quae illustravimus, adscribi. In priore loco

L. III, 37. *οὐ σκοποῦντες, ὅτι τυραννίδα ἔχετε τὴν ἀρχὴν καὶ πρὸς ἐπιβουλεύοντας αὐτοὺς καὶ ἄκοντας ἀρχομένους* sententiam continent gravem, sed eandem et acumine et novitate paullo obscuriorem. Videlicet vulgus Atheniensium jam audit sociorum imperium esse non principatum, sed *tyrannidem,* se ipsos non esse duces vel, ut graviore verbo utar, dominos, sed *tyrannos.* Eget igitur sententia explicatione. Recte igitur et usui apud poetas et prosae orationis scriptores frequentissimo convenienter sententiam adjungit fere eandem, sed clarius et plenius expressam, ita ut eadem res aliis et clarioribus verbis repetatur: *οὐκ ἐξ ὧν ἂν χαρίζησθε βλαπτόμενοι αὐτοὶ ἀκροῶνται ὑμῶν, ἀλλ' ἐξ ὧν ἂν ἰσχύϊ μᾶλλον ἢ τῇ ἐκείνων εὐνοίᾳ περιγένησθε.* Obediunt vobis socii, non quia in eorum gratiam vel pericula et labores subeatis damnaque contrahatis, quod est caritatis vinculum, hominesque liberos et jure opibusque sibi pares conjungit, sed quia vi et armis eos constrictos tenetis, quod *tyrannorum* regnum est in subjectos domitosque. Ratio igitur utriusque enuntiati ita aequalis, ut alterum pro altero poni, alterutrum possit omitti, ita ut de sententiae summa nihil decedat, utrisque positis perspicuitati tantum et gravitati orationis consulatur. Idem igitur usus, quem pag. 8. tertiae classi adscripsi, sed cognatus etiam ei, quem p. 7. alterius generis esse dixi. Alterius loci eadem est explicatio. IV, 10. *τοῦ τε γὰρ χωρίου τὸ δυσέμβατον ἡμέτερον νομίζω, μενόντων ἡμῶν ξύμμαχον γίγνεται, ὑποχωρήσασι δὲ καίπερ χαλεπὸν ὂν εὔπορον ἔσται μηδενὸς κωλύοντος, καὶ τὸν πολέμιον δεινότερον ἕξομεν μὴ ῥᾳδίως αὐτῷ πάλιν οὔσης τῆς ἀναχωρήσεως.* Verba *μενόντων* usque ad *κωλύοντος* explicationem continent prioris enuntiati *τοῦ τε γὰρ χωρίου τὸ δυσέμβατον ἡμέτερον νομίζω,* cui respondet *καὶ τὸν πολέμιον κ. τ. λ.,* quae duae periodi partes particulis *τέ ---- καί* arctissime inter se junguntur. Eo tantum hic locus alteri non omni ex parte similis, quod sententia explicativa

ἀσυνδέτως addita duabus periodi partibus est interjecta. Hoc novum videatur alicui et insuitatum, quod simile exemplum non in promptu est, sed ea de caussa Thucydide, felicissimo multarum rerum novatore, minime indignum. Informemus animo docentis et quidem graviter docentis speciem. Sententiam in duas partes divisam et mente animoque rite conceptam vult eloqui, eloquique incipit; priore jam prolata, accuratiore explicatione opus esse intelligens orationem quasi denuo exorsus eam addit, sed voce non contenta et erecta, sed paullo submissiore, ut, quod primo loco dixit, ne obliteretur animique audientium suspensi teneantur, donec oratio incepta absolvatur, tum rursus intentiore voce sententiae alteram partem subjungit. Ita orationis conformatio, qualem noster locus habet, a natura et usu loquentium haud abhorret, neque eam mirabitur, qui quum Graecorum, tum Thucydidis usum, constructiones variatas, mutatas, confusas, ad sensum factas, gratas negligentias et, quae alia notaverunt grammatici, perspecta habet et ad ea adtendere velit, ita ut animum mirari subeat, quid sit, quod hoc facili in loco interpretes haeserint, asperrimas aliorum locorum salebras levi pede transsiliant.

Thuc. III, 38.

Αἴτιοι δ' ὑμεῖς usque ad finem capitis.

Egregie de hoc loco meruit Goellerus, demonstrans totam seriem structurae hanc esse *αἴτιοι δ' ὑμεῖς — ἀγωνοθετοῦντες — καὶ — ἄριστοι — καὶ ἕκαστος βουλόμενος — καὶ πρόθυμοι — καὶ βραδεῖς — ζητοῦντες τε — φρονοῦντες δὲ — ἁπλῶς τε — ἡσσώμενοι καὶ — ἐοικότες*, sed in singulis verbis et structuris tribus locis mihi videtur errasse.

Primum τοῖς τοιαῦτα λέγουσι explicat *talia dicentibus, qualia dicendi periti,* ut sententia non alia sit, quam si scripsisset τοῖς εὖ λέγουσι. *Τοιαῦτα* igitur retulit ad ea, quae proxime antecedunt καὶ μάλιστα μὲν αὐτὸς εἰπεῖν ἕκαστος βουλόμενος δύνασθαι, εἰπεῖν explicans *bene dicere*. At vero τοιαῦτα non ad infinitivum nude positum, sed ad nomen quoddam, ad certam rem omnino referendum. Certum autem objectum, quod dicunt, verbi εἰπεῖν quum desit, necessario sequitur, ut εἰπεῖν ita a scriptore dictum sit, ut illud cogitatione facile substitui possit. Jam vero partes totius periodi ita sunt comparatae, ut quanquam singulae diversas et novas addunt sententias, tamen arctissime inter se cohaereant, nova sententia ex priore quasi sponte prodeunte. Atqui antecedit καὶ μετὰ καινότητος μὲν λόγου ἀπατᾶσθαι ἄριστοι, μετὰ δεδοκιμασμένου δὲ μὴ ξυνέπεσθαι ἐθέλειν· δοῦλοι ὄντες τῶν ἀεὶ ἀτόπων, ὑπερόπται δὲ τῶν εἰωθότων. Quam dicendi igitur facultatem sibi exoptent Athenienses, satis clare apparet, scilicet eam, quae sophistico, ut hoc verbo utar, Atheniensium ingenio accomodatissima est, qua plana et perspicua obscura, vulgaria inepta, incerta et insolita probabilia reddantur. In hoc enim genere mirifice sibi placent θεαταί isti λόγων, ἀκροαταὶ δὲ ἔργων, in hoc volunt esse ipsi ἀγωνισταί, sin minus eo ἀνταγωνίζεσθαι, aemulari praeclaris illis dicendi magistris, in quos tota oratione Cleon invehitur, ut, quae acute quis dixerit, jam prius intellexisse et comprobasse videri velint, minime vero τῇ γνώμῃ volunt δοκεῖν ἀκολουθῆσαι. Erravit igitur Goellerus, ὀξέως interpretans *celeriter* atque adeo *temerarie;* nam quae temerarie dicta sunt, ea nolunt Athenienses jam antea calculo suo comprobasse videri, sed quae ingeniose, acute, subtiliter, licet acuta ista subtilitas revera abeat in summam temeritatem. Neque ὀξύς ullo loco meram celeritatis notionem habet, sed semper acutum et acre quid significat, uti vel iis ipsis locis probatur, quos Goellerus e Thucydide testes excitavit.

In sequentibus recte Goellerus verba jungit: *καὶ πρόθυμοι προαισθέσθαι εἶναι τὰ λεγόμενα καὶ βραδεῖς προνοῆσαι τὰ ἐξ αὐτῶν ἀποβησόμενα*, sed omisit rationem infinitivi *εἶναι* explicare. *Προαισθέσθαι* pro infinitivo postulare videtur participium. Ac profecto, si *προαισθέσθαι εἶναι τὰ λεγόμενα* significaret *antea sensisse ea, quae dicuntur, esse revera*, scribendum fuisset Thucydidi *ὄντα*. Jam vero istud *προαισθέσθαι* Atheniensium infinitivo *εἶναι* notatur tanquam vanum quid et inane, scilicet non revera *sentiunt*, sed *opinantur* tantum, quamvis et aliis et sibi ipsis persuadere studeant, se omnia sensisse et perspexisse. Vide omnino, quae de hoc infinitivi usu post verba sensuum monent Rost. Gr. Gr. §. 129. 4. Kuehn. Gr. Gr. T. II. §. 658., I, 2., discrimen utriusque structurae, de quo dubitasse videtur Doederlein. ad Soph. Oedip. Col. v. 982., acutissime demonstrantes. Hic aptissime confert Thuc. VI, 59. *αἰσθανόμενος αὐτὸς μέγα παρὰ βασιλεῖ Δαρείῳ δύνασθαι*, *αἰσθανόμενος* explicans *opinans*. Scilicet participia in hac structura semper significant res in sensum occurrentes, sub oculos quasi cadentes, ea de caussa *res aut factas, aut quae nunccummaxime fiunt*, ideo *veras et manifestas*; hinc factum est, ut et post verba, quae vulgo cum infinitivo conjunguntur, participia ponerentur, quando res certa et manifesta esset significanda v. Kuehn. §. 658. II, 3, b et c.*), et post verba, quae vulgo cum participio junguntur, infinitivus poneretur, si res non certa et manifesta esset, sed quae in cogitatione tantum aut opinione versaretur. Sic, ut locum simillimum proferam, L. II, c. 62. *καὶ γνῶναι, ἐλευθερίαν μὲν, ἢν ἀντιλαμβανόμενοι αὐτῆς διασώσωμεν,*

---

*) Sic participium invenitur post *ἀρνεῖσθαι* v. Monk. ad Eurip. Alc. v. 1177., *ἐπεύχεσθαι*. v. Heind. ad Plat. Soph. §. 43., *νομίζειν*. v. Ast. ad Plat. Rempubl. VII, 10. p. 214., *δισχυρίζεσθαι*, *διανοεῖσθαι*, *ὑπολαμβάνειν* v. Heind. ad Plat. Cratyl. p. 182., *λέγειν*, *φάναι* Hell. ad Soph. Oed. Col. v. 1568. Jacobs. ad Delect. Epigr. p. 90. Seidl. ad Eurip. Iphigen. v. 1190. *ἐνθυμεῖσθαι* Thucyd. VI, 79. *τιθέναι*. Plat. Leg. IX, 8. p. 866.

ῥᾳδίως ταῦτα ἀναληψομένην, ἄλλων δ' ὑπακούσασι καὶ τὰ προςκεκτημένα φιλεῖν ἐλασσοῦσθαι. Thucydides primo loco junxit *γνῶναι* cum participio *ἀναληψομένην*, quia Periclis menti obversatur libertatis verae et generosae species, cetera omnia bona certissime comparantis et servantis, omissa recuperantis, altero loco cum infinitivo *ἐλασσοῦσθαι*, quia istam deminutionem detestatur et abominatur, neque id unquam futurum esse, ut in tantam miseriam redigantur Athenienses, sperat. Eadem ratione L. III, c. 38. *καὶ δῆλον, ὅτι ἢ, τῷ λέγειν πιστεύσας, τὸ πάνυ δοκοῦν ἀνταποφῆναι, ὡς οὐκ ἔγνωσται, ἀγωνίσαιτ' ἄν, ἢ κέρδει ἐπαιρόμενος, τὸ εὐπρεπὲς τοῦ λόγου ἐκπονήσας παράγειν πειράσεται* ad modos sibi oppositos est adtendendum. Posuit *ἀγωνίσαιτ' ἄν*, quia illud fieri possit, *πειράσεται*, quia haec e Cleonis sententia vera et una caussa est, vel potius, quia Cleo turpissima crimina in adversarios conjiciens certissime sperat, fore, ut Atheniensium animi leves et creduli ira in eos accenderentur. Hinc *quod excusare possis* optativo, *quod scelus inexpiabile est*, indicativo significatur. Nec dubito ex hac ratione medelam adhibere loco conclamato L. III, c. 44. *ἤν τε γὰρ ἀποφήνω πάνυ ἀδικοῦντας αὐτοὺς, οὐ διὰ τοῦτο καὶ ἀποκτεῖναι κελεύσω, εἰ μὴ ξυμφέρον· ἤν τε καὶ ἔχοντές τι ξυγγνώμης εἶεν, εἰ τῇ πόλει μὴ ἀγαθὸν φαίνοιτο.* Sententia clara et perspicua: *si eos demonstravero injuria maxima nos affecisse, non ideo eos interfici jubebo; sin vero veniae quid habeant, non ideo iis veniam esse impertiendam censebo, nisi id reipublicae utile fuerit.* Recte enim viderunt plerique interpretes apodosin esse subaudiendam: *οὐ διὰ τοῦτο καὶ ἀποκτεῖναι κελεύσω.* In priore orationis membro posuit scriptor conjunctivum cum particula *ἤν*, quia res significatur, quae non cogitatione tantum ponitur, sed quam futuram esse quivis sperare potuit. Injuria enim maxima Athenienses a Mitylenaeis affectos esse intelligit Diodotus, eaque in re plane cum Cleone sentit. Jam vero pergit Diodotus *ἤν τε καὶ κ. τ. λ.*

